

kelos  $\omega\delta\alpha\phi\epsilon\acute{\alpha}\zeta\delta$  per  $\text{מקבלו}$  *juxta & coram*, ut sensus sit, mulierem *juxta & coram viro*, seu circumcirca debere versari. Quâ ratione in nostro textu clausura cubiculi non tantum piè demortuorum bono contingeret, sed & fieret ab omni quasi latere, ita ut nulli amplius perturbationis periculo exponerentur. Huc pertinet versio Judæorum Amstelodamensis Germanica, *und schluß deine Thüren umb dich zu*. Inde etiam dicitur *Apoc. VII, 16.*  $\delta\delta\epsilon\ \mu\eta\ \pi\epsilon\sigma\eta\ \epsilon\pi\prime\ \alpha\upsilon\tau\omicron\varsigma\ \pi\alpha\nu\ \kappa\alpha\upsilon\mu\alpha.$

§. 7.  $\text{חָבֵי}$  *Absconde te*. Hic notanda (1.) Enallage Generis Fœminini, pro Masculino. Nam (ut *Glassius* ex *Kimchio* monet *Gramm. S. l. IV. Tract. 2. p. 737.*) Scriptura S. loquitur de populo modò in masculino, modò in fœminino genere, sæpius etiam utròque in eâdem sententia. Nam populus genere Masculino dicitur  $\text{עַמִּי}$  & genere Fœminino  $\text{עַמָּי}$  vel  $\text{קְהֵלִי}$ . Sic etiam occurrit *Jer. IV, 30.* modo  $\text{וַתַּעֲשֵׂי}$  in fœminino, modo  $\text{כְּשָׂרוֹר}$  in masculino, adde quoque *Tarnovium* Comment. ad *Hos. IV, 19.* Ita h. l. licet in masculino præcedant  $\text{לֵךְ}$  &  $\text{סֹגֵר}$  consuetudine tamen seu idiotismo Scripturæ potest sequi fœmininum  $\text{חָבֵי}$ . Cæterum  $\text{חָבֵי}$  significat *latitavit*, seu *absconditus fuit*, prout exploratores sub montanis latitabant, ne ab hostibus opprimerentur, *Jos. I, 16.* vel prout Micha vaticinabatur, regem latitaturum in cubicula, ut hostium sese rabiei subduceret *1. Reg. XXI, 25.* Sic etiam piè defuncti latitare jubentur in cubiculis, nempe sepulcris suis, ne hostium suorum tela cogantur excipere. Huc enim quadrant illa *Psal. IV, 9.* *In pace cubo solus*, & *Psal. XXXIV, 21.* *unum ex ossibus eorum non conteretur*; Ad quæ vide Comment. *B. Geieri*. Huc pertinet illud  $\text{חָבֵי}$  *Hiob. VII, 8.*

§. 8.